Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1585
Quelle:
Copyright:

quod dolendum, membrana desinit. Postica Descriptionem Mensium mutilam continet deficiente *Martii* initio, et fine *Augusti*. Initium nunc est: *apud hebreos mensis adar apud grecos vocatur dultum et habet XXX. dies. Nox eius habet horas 12. In mense enim marcio est equinoccium* &c. Menda multa occurrere etiam e pictura *Maji* discas: *Depingitur iuuenis equitans et egestans uoluntatem super manum.* Lege *gestans volucrem;* id enim antiqua Calendaria picturata docent.

DCLXXIV.

R. 22 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 193. f. per duas columnas multis vocum compendiis exaratus, coloribusque distinctus Opus complectitur *de Proprietatibus Rerum* tacito Autore, qui est *Bartb. de Glanvilla*, seu *Glanville* O. M. *Anglus*, medio Sec. XIV. clarus, ut adeo Codex ejus aetatem adtingat. Prooemium, quod infit: *Cum proprietates rerum sequantur substantias, secundum distinctionem et ordinem substantiarum erit ordo et distinctio proprietatum* &c. Operis divisionem in XIX. *Libros* indicat, qui agunt de Deo, Angelis, Anima, Elementis, Corpore humano et deinceps omnibus Rebus creatis, quibus subdit Autor: *In istis XIX. libellulis rerum naturalium proprietates summatim et breuiter continentur, prout ad manus meas spice, que effugiunt manus metentium, pertingere potuerunt. In quibus de meo pauca uel nulla apposui, sed omnia, que dicentur, de libris autenticis sanctorum et philosophorum excipiens sub breui compendio compilaui.* Porro Εγκυκλοπαιδιαν hanc suam ita aevo suo commendavit Noster, ut non tantum lingua latina extent vetustae Editiones, quarum longum Catalogum texere possis e *Maittairio*, meoque ad illum *Supplemento*, verum etiam in alias versa sit, ut editio Belgica *Harlemi* 1485. Gallica *Lugduni* 1487. Hispanica *Tolosae* 1494. Anglica *Londini s. a.* quae mihi in Bibliotheca Palat. ad manum sunt, testantur. Germanicam adhuc quaero. *Codex* noster imperfectus a Librario destitutus est; deest enim L. XVIII. c. ultimum *de Vipera*, et totus Liber XIX. quanquam membranae superfuissent. De Autore agunt inter alios *Waddingus* in *Bibl. Ord. Oudinus* T. III. *col.* 969. *Tanerus* in *Bibl. Brit. Hib. p.* 326. Olim audiebat passim *Bartholomaeus Anglicus*.

DCLXXV.

Codex membraneus lat. ejusd. R. 479 Sec. Folior. 293. f. per duas columnas charactere crasso perscriptus, et coloribus illustratus aliud Exemplar est praecedentis Operis, illique in subsidium veniens; continet enim extrema illa omnia, quae ibi deesse dicebam. Verum haud impune; nam Iconismi fortasse picturati caussa absectum est improba manu primum Folium, ita, ut nunc initium sit ab his L. I.